FUR PRÆDESTINATUS:

Sive,

DIALOGISMUS

Inter quendam Ordinis Prædicantium Calviniſtam & Furem ad laqueum damnatum habitus.

In Quo

Ad vivum repreſentatur non tantùm quomodo Calviniſtarum Dogmata ex ſeipſis anſam præbent ſcelera & impietates quaſvis patrandi, ſed inſuper quomodo eadem maximè impediunt quò minùs peccator ad vitæ emendationem & reſipiſcentiam reduci poſſit.

Quid nobis prodeſt Chriſtus ejúſve Spiritus, verbúmque prædicatum, à Deo contrarium ſi ſit prædeſtinatum? Chriſtus ſi ſuo prodeſſe debet Spiritu, verbóque nos reformare, neceſſe eſt Deum contrarium non prædeſtinare.

LONDINI,
Impenſis *F.G.* Typis *G.D.* *Anno Dom.* 165[illegible].

LECTORI.

Christiane Lector!

Dialogus iste quem in publicum nunc emittimus, nauseam fortè movebit, mirúsve & insolens videri poterit Dogmata hujusmodi audire minùs assuefactis. Enimvero à Furè quæ defenduntur & sustinentur partes, non ità quenquam interpretari fas est, ac si ex Sacris Scripturis perversi adeò promi quid posse arbi-

traremur : Abſit ! Quicquid tandem profertur, conſonum eſt, imò ipſiſſima verba ſunt eorum Doctorum, qui apud Calviniſtas pro præſtantiſſimis, & ὀρθοδοξωτάτοις habentur : Quæ quidem placita abominanda aſſeveramus ; talia nempe quæ Evangelicam pietatem funditus evertunt, ampliſſimámque viam omnis generis flagitiis & ſceleribus ſternunt, pandunt & aperiunt.

Multi minùs perſpicacis ingenii homines non advertunt quàm pernicioſa & abſurda ſit de præciſa & rigida Prædeſtinatione opinio ; quod ipſum in cauſſa fuit cur Dialogus hic prodeat in lucem, ut exinde cuique luce meridianâ clariùs conſtet, æquè ac Stygem infernalem fugienda eſſe tam

ipſa

ipſa Dogmata, quàm Doctores qui ea profitentur, tenent, evulgant. Si Inſcriptio primâ fronte videatur peregrina & duriuſcula, nè ea propter offendare Lector, exploratum quippe tenetur, complures Dogmatum iſtorum libidine abreptos, non furtis duntaxat, prædis & rapinis, ſed latrociniis inſuper, aliíſque deteſtandis facinoribus ſe mancipâſſe, adeò ut, ſi votis res conficeretur, optaremus nè experientia jam nunc plùs ſatìs pro dolor! exemplorum ſuppeditâſſet: Quibus conſideratis, apparet titulum argumento, de quo hìc agitur, optimè quadrare.

Vale.

Nomina Doctorum apud quos præciſæ Prædeſtinationis Dogmata vigent, quíque in Tractatu hoc adducuntur.

A.

Uardus Acronius, dum viveret, Concionator Schiedamenſis.

B

Theodorus Beza Doctor Genevenſis.
Georgius Bucanus Bernatum Lauſannæ Profeſſor.
Martinus Bucerus Profeſſor Cantabrigienſis.

Joannes Bogardus, dum viveret, Concionator Harlemensis.
Ioannes Becius, Concionator Dordrectanus.
Bern: Buschop, Concionator Ultrajectinus.

C.

Joa: Calvinus, Doctor Genevensis.
Colloquium Hagiense, in quo Contra-Remonstrantium Collocutores fuere sex sequentes.
Pet: Plancius, Concionator Amsterodamensis.
Ioa: Bogardus, Concionator Harlemensis.
Libertus Fraxinus, Concionator Brilensis.
Ruardus Acronius, Concionator Schiedamensis.
Festus Homnius, Concionator Leydensis.
Ioa: Becius, Concionator Dordrectanus.

D.

Dunganus, Concionator Arnhemiensis.
Reyneirus Donteclock, dum viveret, Concionator

cionator Delph: & Brilenſis.
Dordracena Synodus.
Damman: Concionator Zutphanenſis.

F & H.

Libertus Fraxinus, dum viveret, Concionator Brilenſis.
Feſtus Homnius, Concionator Leydenſis.

G.

Cornelius Geſelius, dum viveret, Concionator Edamus.
D. Franc: Gomarus, Profeſſor Groningenſis.

M.

Marloratus, Concionator Rothomagenſis.
Muſculus.
P. Martir, Profeſſor Oxonienſis & Tigurinus.

N.

N.

Nicasius de Schure Concionator Gandavensis.
Pet. Nieuwenrode Concionator Roterodamensis.

P.

G. Perkins Doctor Anglicanus.
Amandus Polanus Professor Basileensis.
Paræus Professor Heidleburgensis.
Ioannes Piscator Nassoviæ in Comitatu Hernornæ Professor.

R.

Rennecherus Heb: Ling: apud Leidenses Professor & Concionator.

S.

H: Sturmius Professor Leidensis.
Adrianus Smoutius antehac Concionator Rhenanus.

Rip-

Rippertus Sixti Concionator Hornanus.

T.

Iac. Triglandius Concionator Amsterodamensis.
Anth: Thysius Professor Harderwicensis.
Dan: Tossanus Professor & Concionator Heidelburgensis.

U.

Ioh: Urbanus, Concionator Hattemensis.

Z.

Zuinglius Tiguri in Heluetiâ Professor & Concionator.
H: Zanchius Neopoli Nemetum Professor.

Dia-

Dialogus inter Concionatorem Calviniſtam & Furem ad furcam damnatum habitus.

Concionator.

BOnam veſperam Adoleſcens; quomodo vitæ tuæ habent rationes?

Fur. Prout Deo Omnipotenti, qui cuncta ſecundùm arbitrium voluntatis ſuæ operatur, ab æterno de me placuit decernere, & in tempore efficere.

Conc. *Recte aïs; ſed hoc ægrè me habet*

habet, te verò omnium ægerrimè, quòd impactus es compedibus, nec aliud niſi mors deteſtabilis tibi exſpectanda.

Fur. Sanè eſt certiſſimum; ignoro tamen an deceat vel me vel te tantopere triſtari, cùm nec mihi nec tibi certò conſtet, utrùm ab æterno, per immutabile aliquod Decretum, à Deo prædeſtinatus ſum ad vitam æternam, an verò ad pœnas infernales.

Conc. *Eâ de re paulò póſt: interea quia ſtat ſententia in craſtinum ut pendeas, ego verò accerſitus huc venio ut tibi præſtò ſim, an cum latrone in Paradiſum tranſferri queas, fac ut ſciam quænam peccata perpetraveris, quò tantò commodiùs meam ad te exhortationem, ex uſu tuo, & ad animæ tuæ ſalutem inſtituam.*

Fur. Lubentiſſimè; dummodo tu vacuas & audientes ad omnia ea aures accommodaveris.

Parentes mei ab ineunte ætate curârunt me enutriri literis, tandem in Academiam mittere animum inducentes.

Quid

Quid factum? *Leidensis* Academia hæresium plena erat; Franequeræ verò studiosi Baccho litabant, digladiabantur, & ferociſſimorum inſtar militum ad Duella continuò & concertationes mutuas ſeſe provocabant. Noſtræ tamen Eccleſiæ Præco erat autor, ut Franequeram mitterer; extra dubium quippe expedit potiùs Bacchi ſacrificulum & Martis alumnum evadere, quàm hæreticum, cùm hic animam perdat & trucidet, ille duntaxat corpus. Poſt hæc, Benedicite acceptâ, adibam Franequeram, ubi cerviſia adeò erat laudabilis, vinum pretii tam vilis, ſodalitiúmque ità amœnum, ut omnes nummos convivando inſumerem. Simul ac parentes mei reſciverant Muſas meas in Bacchi voluminibus verſandis & evolvendis tantopere occupari, domum me revocantes, in Galliam ablegabant, ubi parcè vivitur, & vitio ebrietas vertitur: Verùm Pariſiorum adibam Lutetiam, quò omnium

nationum

nationum est confluxus: Ibi generosissima quæque vina nihili ferè vendunt, strenuè potando rem meam credebam facere, perpetuò Bacchi thyrso egregiè delinitus, à puellarum gremiis nunquam avulsus. Tandem ità enormiter vivebam, ut parentes id audientes Cacubii literas *Genevam* dirigerent, mihíque ut eò loci viverem, mandarent. Enimvero Ecclesiastes noster parentibus imposuerat, quòd urbs esset sancta, in qua ebrietati, comessationibus, choréis ducendis, scortationi, nec ullis mundanis illecebris locus concederetur. Indè credula parentum simplicitas penitùs sibi persuasum habebat, me istic non secùs ac *Samuelem* quempiam cum *Eli* in Domini templo assiduè commoraturum. Absque exceptione *Genevam* abeundum erat, sumptibus alioquin carituru. Eò venienti mihi hospitium obtigebat hospitem habens cum Venere formâ certantem, & ancillam satìs facilem, sed tantam præ se ambas

ambas pietatem ferentes, ac ſi ipſa fuiſſent ſanctimonia. Templum quotidie adeuntes, neſcio quoties in anno Sacro-ſanctam Cœnam participantes. In tantam pietatem nequam oculos meos primitus non ſuſtinebam intendere. Sed utì tempus omnia alit, ità morâ intercedente tandem optatis meis cuncta reſpondebant. Ante omnia, ut apud verbi Præcones & Conſiſtorium favorem mihi acquirerem, nullam omnino Concionem negligebam, ſubinde cum grandi Bibliorum volumine templum ingrediens, locum non niſi infra ſuggeſtum capeſſebam, ſingula Scripturæ dicta à Concionatore allegata inquirebam, unde ſummam mihi exſtimationem conciliabam. Interea Satrapam referre ſatagens, lateri gladium alligabam, ſervulo ſequente, & Concubinæ vices pariter obeunte incedebam, qui caligis exutis puellam ſe potiùs quàm maſculum probabat. Quandoque tali ſtipatus ſodalitio

litio cymbâ lacum transfretabam, & cum Glycerio in montem, in vallem viridem, in gramina exſpatiabar, non vinum, non chartæ luſoriæ, non alea, avéſque ſuaviter modulantes cum variorum animalium amœnitate tædium prohibente deerant. Quotidie fidium ſonus egregiè cerebrum mulcebat; ſed nè in plateâ animadvertaretur, pectine fidibus inſerto ſonus reddebatur ſubmiſſus: diebus ſerenis, lychno accenſo, feneſtris veſtes prætendebamus, calceis exutis in pavimento aulæis cortiníſque ſtrato choreas ducebamus.

Conc. *At verò ſi innotuiſſet quid de te actum eſſet? nam in ſancta urbe* Genevâ *piaculare facinus eſt ſaltare.*

Fur. Utinam hìc non ſeverius quid in me ſtatueretur. Semel cùm res palàm fieret, mihi meóque ſodalitio imponebatur nos ſiſtere Epiſcopo. Præter aquam & panem arbitrabar nihil nobis ſuppeditatum iri; verùm reliqui ſenſus noſtri fratres & ſororculæ ſplendidè

didè incedentes indies nos viſebant, genialiter edebatur convivebatúrque, in ædium contiguarum ſuperiori contignatione ſaltabatur ad trabium uſque commotionem, ídque quamdiu detineremur. Quamprimum pœnitentiæ eſſet terminus, in Conſiſtorium deducebamur, ubi facti turpitudinem multis verbis nobis exprobrabant : poſt illa convoluti proníque ſuper genua & cubitos ante Suggeſtum in plenam Concionem cogebamur irrepere, apud Deum Eccleſiámque ſcandali dati veniam rogare. Sed non ampliùs habetur dedecus, exemplorum multitudine probrum pridem abſorbente, dum in majorem illorum partem qui primipili urbis ſunt, imò in ipſos Conſules & Concionatores pariter animadverſum fuit. Attamen tempeſtivè prævidens apud Batavos rumorem eum, ſi percrebeſceret, peſſimi nominis futurum, arbitrabar meâ intereſſe, ut famæ conſulerem, altiúſque ad animum,

mum, quid de me fieret, revocarem, antequam in Batavia emanaret. Proinde in Conſiſtorio comparens imo de pectore trahere ſimulabam

Cordicremos gemitus & ſingultantia verba,

& tantùm rheuma non eructabam. Advenam me ajebam, quem Patrum decreta & populi genius lateret; ſeductum me exclamabam; fando me ipſum exquirebam, quomodo in tantum ſcelus præcipitatus eſſem, cujus mores ſancti adeò & illibati exſtitiſſent; quomodo dexterrimè tam perverſum conſortium evitandum foret, percontabar. In templo tanquam canis ululabam, in modum anguillæ manus inflectebam; verbo, ità perſonam meam ſuſtinebam, ut nemo non meî commiſeratione tangeretur, méq; idoneum vas judicaret. Poſt hæc concionatorem ſeorſim adibam, vicem ipſi meam luctuoſam enarrans, de rebus meis penitùs conclamatum querebar,

præ

præ me ferens quòd jamjam abiturus eſſem, ovis inſtar palantis errabundus, qui ampliùs in parentum meorum conſpectum prodire non auderem. *Concionator* hæc audiens, *Davidis, Solomonis, Mariæ Magdalenæ* aliorúmque exemplo me ſolabatur, qui omnes enormiter peccârant. Breviter *Concionatorem* conquiſitis dictis ità permovebam, ut ſcriptis ad patrem meum literis, ingenium meum, diligentiam & modeſtiam mirum in modum commendaret, parentéſque exhortaretur, nè dubitarent quin ſumptuum ſuorum deſideratiſſimos fructus læti ex me percepturi eſſent. Literas iſtas illico reddendas diligentiſſimè curabam, additis aliis à me ſcriptis, quibus de Prædeſtinatione & Libero arbitrio ſubtiliſſimè diſputabam, voculis inſuper Hebræis, Græcis, Latinis & Gallicis eas interpolabam, urbis ſanctimoniam extollebam, Paſtorum eruditionem deprædicabam, parentibus meis gratias

gratias agens, quòd me in ſalutis ſemitas reduxiſſent. Nuntius iſte parentes meos tanto recreabat gaudio, ut confeſtim portio mea quadraginta coronatis excreſceret: Attamen omnia fruſtrá. Equus ſemel carceres tranſilierat, indè pudor omnis perierat, ità ut indies deterior evaderem, támque enormiter exorbitarem, ut à parentibus domum redire juberer.

Verùm *Amſtelrodamenſe* metuens ergaſtulum, tam diu exſpectabam donec fides mihi haberetur; poſtea me proripiens effugiebam, Romam petebam, ex pallio meo togam conficiens, ad modum eorum qui Religionis cauſsâ iter faciunt, pileo verò cannas adfigebam, eorum inſtar qui ad Sancti Jacobi reliquias proficiſcuntur, quò tantò tutiùs diverſoria omnia & Monaſteria ingrederer, egrederérque. At vita hæc nimis ſordeſcebat, denuo Attalicè incedere ſtabat ſententia; ſi vel in malum abeundum foret.

Tum

Tum demum in campis & ſylvis prædonem agebam, in oppidis crumenicídam, & furem nocturnum qui ædes ſpoliat. Eo vitæ genere per *Germaniam* penetrabam in *Hollandiam*, ubi villicorum & civium bona & fortunas, quà vi quà dolo, multíſque irruptionibus domeſticis diripui. In eum modum ſexennium ſcortorum & nebulonum conſortio lætus inſumpſi, & jam apparet ac ſi omnis indè percepta voluptas triſti ſemi-horâ finienda ſiet.

Conc. *Percipio te grandem admodum peccatorem eſſe, qui omnibus tuis ſceleribus ſuſpendium duplò, imò ignem infernalem ſis promeritus; indè miror quòd cum riſu iſta profers, haud aliter ac ſi nullum gravamen animæ tuæ metuendum eſſet. Dicas ergò mihi, quonam vitâ exceſſurus te migraturum cogitas?*

Fur. In cœlum æquè ac tu, qui me non es multò melior.

Conc. *An ergo æquè bonum & honeſtum te arbitrare atque me?*

Fur

Fur. Arbitror, & quidem ex propria tuâ confeſſione; (*a*) nam optima tua opera in ſeipſis putida ſunt & putrida, fœtida, deformia, deteſtanda, imò meræ abominationes & peccata, &, tanquam immunda fœmina, ſemper putredine & maculis infecta, ità ut nullis operibus apud Deum acceptus ſis & æſtimatus, quandoquidem illa (*b*) aliud nihil niſi pœnas æternas merentur, & (*c*) contra omnia omnino præcepta Dei graviſſimè peccâſti, neque ullum eorum obſervâſti, imò jam nunc ad omnem malitiam, ad Dei proximíque odium pronus es.

In precationibus tuis ad calcem Pſalterii impreſſis, confiteris, Digniſſime vir! dignitatem tuam non tantùm cœcam eſſe in intellectu, ſed ineptam quoque ad ullum bonum; quòd à Deo

(*a*) *Calv. comment. in Eſa. c. 64. v. 7. Inſtit. l. 3. c. 12. diſt. 9. 13, 14. Ibid. c. 14. diſt. 9.* (*b*) *Confeſsio Belg. art. 24.* (*c*) *Catech. Heidelb. queſt. 60.*

defe-

defecerit; quòd propria desideria secuta fuerit; quòd quotidie gravissimè peccet, quandoquidem dignitas tua per originale peccatum adeò impura est, ut per id varia prava desideria adversùs Deum & proximum pugnantia in te habitent, ità ut Dei mandata sæpe absque intermissione transgrediaris. Breviter miser peccator es, conceptus & natus in omni pravitate & corruptione, ad prava omnia præceps, ad bonum quodvis inidoneus, ità ut indesinenter peccatrice vitâ tuâ iram Dei adversùs te excitaveris, & secundùm rectum judicium ejus æternam, (proh dolor!) in te condemnationem derivas. Eâ de re conscientia tua te accusat, (*d*) imò peccata tua adversùs te testantur, ità ut corruptionis tuæ sensu convictus sæpe ingemiscas, & à corpore tuo liberari desideres. Verborum utar compendio,

(*d*) *Confes. Belg. Art.* 7.

à teneris indè frugi parùm fuiſti; nam (e) in nativitate tuâ filius iræ,& hæres vindictæ divinæ exſtitiſti, communionem habebas cum damnatis Diabolis, dum in matris tuæ utero eſſes; plenus eras omnis naturalis veneni, unde omnia prava opera emanant; exteriùs nihil niſi peccare poteras, cùm infantilis quoque eſſes, ſi modò occaſio tibi ſuppeteret. Nam natura tua ad peccandum ità prona erat, quemadmodum ſerpens naturaliter ad ictum fertur; Et quemadmodum vipera aut ſerpens ab homine habentur odio non propter malitiam quam perpetrârunt, ſed propter venenum quod in ſe continent; pariter & tu à Deo haberis odio propter naturale venenum quod tecum conceptum & natum erat. Iſta omnia & ejus generis multò plura ipſe de te enuntias, & iſta manu

(e) *Guil. Teeling. Dialog. de ſtatu hom. Chriſt. pag.* 8, 9.

tuâ

tuâ ſubſcripſiſti: Imò ut hæreticos, Pelagianos, Cornehertiſtas & Perfectiſtas eos accuſas, qui hæc in hunc modum cum veſtris profiteri abnuunt. Et quid tibi videtur? Si Shimei quiſpiam deſtinatâ operâ maledictis & probris te inceſſeret ac convitiaretur, deteriúſne quid in te poſſet evomere?

Conc. *Honoris cauſſâ & magnificentiæ ſuperabundantis Dei gratiæ, lubens ex animo confiteor omnium iſtorum reum me eſſe: Imò Deus vult ut ipſius fideles & electi tanti peccatores ſint, nè ſeipſos efferant,* (f) *ſed humiles ſint; quæ humilitas in eo conſiſtit, ut vacemus omni bono & juſtitiâ.*

Fur. Pridem & hoc ego optimè exploratum habebam, Concionator, proinde arbitrabar ſi id in rei veritate dicendum mihi foret, quòd penitùs nihil boni faciendum mihi eſſet; nam quò longiùs à bono omni abeſſem, eò

(f) *Calv. Inſt. l. 3. cap. 14. Diſt inc. 9.*

veriùs faterer, quòd omni bono & juſtitiâ vacuus eſſem.

Conc. *Non; hoc ità accipi nolim: Deus vult nos peccatores eſſe, nè bonis noſtris inniteremur operibus, ſed ipſius duntaxat gratiâ, nè quæreremus per opera noſtra juſtificari.*

Fur. Idem adhuc ſentimus, & quia optimè nôram quàm mortiferum peccatum eſſet bonis operibus ſuis inniti, & per ea juſtificationem quærere; imò quantis technis Diabolus inſidietur homini, quò hæreſibus eum irretiat, omnia bona opera evitavi, ſoli Dei innitens gratiæ.

Conc. *Omnia invertens adverſus & præpoſterus vis currum conſcendere: Doctrinam noſtram haud aliter intepretaris ac ſi vitæ tuæ perverſæ cauſſa exſtitiſſet. Abſit! Deus hoc intendit, nè homines quærant operibus juſtificari, verùm fide.*

Fur. Quâ fide?

Conc. *Prout Catecheſis noſtra Quæſt.* 60 *docet; Credo ſolùm in Jeſum Chriſtum,*

ſtum, quâ fide coram Deo juſtificor. De iſtis omnibus conſcientia mea me accuſat, quòd contra omnia præcepta Dei graviſſimè peccavi, quòd nullum eorum obſervavi, & jam nunc ad malitiam omnem propendeo. Deus tamen abſque ullis meis meritis, merâ ex gratiâ, perfectam Chriſti ſatisfactionem, juſtitiam & ſanctitatem mihi donat & imputat, æquè ac nullum peccatum commiſiſſem aut habuiſſem; imò ac ſi obedientiam præſtitiſſem quam Chriſtus pro me præſtitit, quatenus tale beneficium credenti corde mihi applico.

Fur. Revera, Concionator, pura ac illibata hæc fides & mea ſemper fuit, ut magìs magíſque cognoſcam Reformatæ Eccleſiæ doctrinæ perpetuò me inhæſiſſe; prout perpetuò, quoque Deum meis fatigavi precibus, quò in fide abſque ullis bonis operibus perſiſterem. Proinde & hoc mihi ſemper fixum fuit animo, crebróque ſermone uſurpavi; (g) Præcipuam Chriſtiano-

(g) *Luth. in præfat. Epiſt ad Gal.*

rum artem eſſe & ſapientiam, legem nullam nôſſe, nulla bona opera, nè vel hilum operantis juſtificationis ſcire: (*h*) Nam Chriſtianus nullis operibus vel lege indiget, poſtquam per fidem ab omnibus legibus liber eſt. (*i*) Fides ſola nobis ad juſtificationem eſt neceſſaria, à rebus cunctis cæteris ſumus liberi, nulla præterea vel mandata vel interdicta; (*k*) bona opera neminem bonum reddunt, nec prava pravum. (*l*) Et quemadmodum infidelibus nullum bonum opus ad ſalutem & juſtitiam prodeſt; ità ex adverſo nullum pravum opus quemquam pravum reddit vel damnat, ſed ſola incredulitas. (*m*) Nam ubi fides eſt, ibi nullum peccatum obeſſe poteſt.

Conc. *Quid tum? Itane bona opera*

(*h*) *Id. in lib. de Libert. Chriſt* (*i*) *Id. in Ep. ad Gal. cap.* 2. (*k*) *Id. de lib. Chriſtianâ.* (*l*) *Id. Paulò poſt.* (*m*) *Id. in Serm. I à Deus dilexit mundum.*

inſuper

inſuper habes? Docemus quidem (n) *fidem in Chriſtum juſtificare; ſed nos quoque teneri Dei præcepta obſervare, prout ſcriptum eſt; Si vitam æternam vis ingredi, ſerva mandata.*

Fur. Parciùs frater; (o) Nam tunc Chriſtum abnegâſti & fidem deſtruxiſti, divinis mandatis vel legibus tribuens, quod ſoli Deo debetur. Proinde parùm abeſt quin inducar ut credam te aliquid de hæreſibus participare, dum bonis operibus boni quid tribuis in noſtra coram Deo juſtificatione. (p) Confirmo tibi, Concionator, quia via anguſta eſt, oportet te ſubmittas, ſi tranſire vis. Nam operibus qui ſunt onuſti, quemadmodum viatores ad Sancti Jacobi reliquias cannis videmus circundatos, (q) illuc tranſire non poterunt. Dum ergò

(n) *Luth. in Ep. ad Gal c. 2.* (o) *Luth. in reſp. ad quæſt. præced.* (p) *Id. in ſerm. Ità Deus, &c.* (q) *Paulò inferiùs.*

accedis ingentibus saccis bonorum operum plenus, illos aut deponere cogeris, aut transire non poteris.

Conc. *Fateor bona opera in justificatione nostrâ sive salute non spectari tanquam causam impulsivam; interim cavendum nobis à peccatis.*

Fur. Omnino Domine; caveamus (r) nobis à peccatis, sed multò magis à lege & bonis operibus, tantùm attendentes ad divina promissa & finem. Bone Deus! quid miselli nos peccatores faceremus boni? (s) Cùm etiam sanctissimi quique, quamdiu in vita hac morantur, exiguum adeò initium obedientiæ habeant, ut ex iis nè vel unum opus proficisci queat, quod non justam ignominiæ pœnam mereatur? (t) Imò quod non æternâ potiùs condemnatione, quàm vitæ præmio sit

(r) *Luth. Serm. in N. T.* (s) *Catech. Heidelb. quæst.* 114. (t) *Calv. Inst. li.* 3. *cap.* 14. *Dist.* 9. (u) *Calv. cont. Concil. Trid. Sess.* 6. *c.* 11.

dignum.

dignum. Apagite ergò ſanctuli operum ſectatores cum bonis veſtris operibus; mea premite veſtigia, qui ſolùm in gratiam & miſericordiam Dei fidem ac ſalutem meam exſtruo. (x) Nam ità dives eſt Chriſtianus, ſi modò baptiſatus ſit, ut ſciens volens ſalutis jacturam facere nequeat per peccata quantacunque tandem ſint, niſi fortè credere detrectet. Hæc omnia ipſa *Lutheri* & *Calvini* verba ſunt: An verò hi non Reformati Doctores?

Conc. *Etiam; tamen animadverto, amice, te tabulis iſtis confiſum, liberè nimis & liberaliter atrocia quæque peccata commiſiſſe; proinde de Dei voluntate, quâ ſibi obediri vult, ut erudiaris eſt neceſſe.*

Fur. Vera loqueris, Concionator; Nónne verò exiſtimas eâ de re abunde me cogitâſſe? Certè cogitavi, prudénſque partes meas diu multúmque

(x) *Luth. de Capt. Babyl. cap. de Bapt.*

mecum pensitavi; Nam (*y*) considerabam voluntatem Dei duplicem esse, occultam vel revelatam; (*z*) ità ut Deus multa velit, quæ nolle revelavit. Exemplo res patet. (*a*) Dominus *Moysis* manu *Pharaoni* promulgavit Edictum, dicens. Mitte populum; cùm tamen occulta Dei voluntas & propositum fuerit nè populum demitteret. Nec (*b*) hoc mirum videri debet: quippe Deus occulto Decreto ad peccata destinavit, quos vias rectas incedere jussit.

Conc. *Quid ità? Peccandóne Dei voluntatem te arbitraris exsequi?*

Fur. Si (*c*) occultam Dei voluntatem attendis, quâ decrevit res omnes ad scopum suum perducere, & verbum *exsequi* res eventui accommodas, im-

(*y*) *Sturm. de prædest. Thes.* 18. *p.* 117. (*z*) *Id. Thes.* 15. *p.* 31. (*a*) *Perk. de lib. Dei gratiâ pag.* 45. (*b*) *Calv. ad calumn. Nebulonis* 858. (*c*) *Sturm de Prædest. Thes.* 18. *p* 17.

pii Dei voluntatem faciunt; Sin revelatam voluntatem ſpectas, impii voluntatem Dei non faciunt.

Conc. *Rectè aïs; quocirca ſemper decebat te externæ Dei voluntati intentum fuiſſe, quia occulta Dei voluntas te latebat.*

Fur. Sanè, Concionator, binæ iſtæ voluntates Dei in cerebro meo perpetuò moluerunt, ſonántque veluti mola aſinaria: Etenim (*d*) videns, Deum non ſemper velle id quod ſe velle revelat, & ipſius (*e*) revelatam voluntatem impropriè, occultam verò propriè voluntatem eſſe; præterea, (*f*) Deum per ineffabile conſilium velle ut in alium finem res ipſæ fiant, quas fieri non vult, & ut perpetrentur prohibet, revelatæ voluntati non multùm fui intentus.

(*d*) *Piſca. cont. Schafm.* (*e*) *Dungan. Pacif. fol.*56. (*f*) *Calv. ad calum. neb. p.* 861. *ad Art.*7.

Conc.

Conc. *Quî tantas blasphemias eloqueris?*

Fur. Ipsissimam veritatem eloquor; nam cùm (*g*) occulta voluntas semper, soláque tantùm fiat, & in mundo nihil accidat, quod ipsum Deus nolit; imò cùm hæc occulta Dei voluntas rerum omnium sit necessitas, ità ut Deus ipse peccatum velit voluntate Beneplaciti; tutissimum arbitratus sum semper efficacem Dei voluntatem sequi, nè frustaneum laborem capesserem.

Conc. (*h*) *Manifestum est Deum secundùm occultum omnipotens Decretum & Beneplacitum nolle fieri, quod hominibus in verbo revelato præcipit: Et* (*i*) *omnes res, utì apparet, à Deo & ipsius Decreto infallibiliter ac necessariò producuntur eo inficias; imò expressè hanc doctrinam & sententiam meam esse profiteor: nihilominus decebat te à peccato majorì sollicitudine tibi ipsi cavisse.*

(*g*) Sturm. de Præd. Thes. 1. fol. 3. (*h*) Rippert. in Colloq. pag. 250. (*i*) Id. pag. 252.

Fur.

Fur. In ſacris Scripturis legi, Concionator, à Chriſto vanam mentis ſollicitudinem prohiberi; cujuſmodi eſt, ſtaturæ ſuæ cubitum addere, ſive pilum album nigrúmve efficere, & id genus alia: Perinde arbitrabar ego minùs ſapienter me facturum, ſi Dei ipſius Decreto & efficaci voluntati refractárius contrà niti præſumerem. Enimvero (*k*) oportet mecum fateare, omnes omnium hominum operationes & humanas commotiones, internas & externas, tam malas quàm bonas, mentis, cordis & voluntatis, dirigi & moderamen accipere à vi & impulſu divinæ providentiæ, ut non poſſint quin eligant id quod Deus vult; ità ut in lapſu *Adami* cor à Deo hoc in negotio ad finem eum deſtinatum fuerit. Atque hoc modo fit (*l*) ut homines nihil poſſint ſive conſulere, ſive velle niſi

(*k*) *Sturm. de Præd. Theſ.* 18. *p.* 112. (*l*) *Calv. de Prædeſt. pag.* 842, 843.

quod

quod Deus ipſis inſpirat aut indit, bonum malúmve fuerit; ità ut is actu quoque hominum manus moderetur, ut modò vinctas eas teneat, modò flectat horſum, retrorſum, quò illud, quod prædeſtinavit, efficiat. Quod non tantùm de bonorum ſed & perpravorum genere accipiatur oportet. (*m*) Nam quantopere etiam homines, tanquam efferæ & indomitæ beſtiæ omnes turpitudinum numeros expleant, exinde tamen emanat, quòd occultis & ſecretis habenis ità reguntur, ut nè tranſverſum digitum deflectere valeant, quin Dei opus potiùs efficiunt, quàm proprium. (*n*) Etenim per inſtrumenta ità Deus operatur, ut non tantùm permittat quò id agant & faciant, ſive ut eventum tantùm moderetur, verùm ut ipſe quoque excitet, impellat, moveat, regat, (& quod pal-

(*m*) *Calv. de locis præcipuis.* (*n*) *Beza adv. Caſtel. Aphor.* 22.

marium)

marium) creet insuper, ut per illa, quod decrevit, efficiat. Atque hanc propter causſam proculdubio fit, quòd Deus (o) voluntatem & inclinationem ipsis quoque indit impiis, ut hac ratione dici omnino possit, Deum (p) solitariam & genuinam cunctorum esse causſam, (q) volens & efficiens ut impii in suis cupiditatibus vivant, & proinde (r) peccandi necessitas quoad Deum imponitur. Quocirca, Concionator, quod hìc de sollicitudine ac vigilantiâ dictitas ac garris stultum est, & tua evidens fuit imprudentia. Nam (ſ) impii occultâ Dei manu & vi sive potentiâ, tanquam laqueo latente, nescientes diriguntur ad scopum ipsis ignotum; haud aliter atque sagitta emissa punctum ferit in quod à sagittario emissa est, quantumvis illud non meditetur vel nòrit.

(o) *Id. ad calum. neb* 11. (p) *Smout. Concord. fol.* 2. (q) *Triglan. def. fo.* 172. (r) *Gesel. probl. c.* 14. *fo.* 62. (ſ) *Ren. in cat. aur. fol.* 32.

Con-

Conc. *Id mihi tu dictitare & garrire videris ac ſi Deum peccatorum tuorum autorem ſtatuere non verecunderis.*

Fur. Si (*t*) per autorem intelligis eum qui ſuadet, adigit, impellit, vel quocunque modo occaſionem ſubminiſtrat quidpiam faciendi, tutò ſanè Deum autorem peccati nominare potes; verbi gratiâ; cùm (*u*) *Adam* cauſſa peccati, & Deus cauſſa *Adami*, quare Deus non cauſſa ſit peccati? Imò Deus (*x*) prima eſt cauſſa peccati. Verùm cum grano ſalis hæc ità capias oportet. Idem (*y*) delictum, utpote adulterium vel homicidium, in quantum Deus eſt autor, motor & impulſor operis ejus, nullum eſt ſcelus; ſed in quantum opus eſt hominis ſcelus eſt & indignum facinus. (*z*) Etenim propter juſtas cauſſas, nobis tamen ig-

(*t*) *Pezel. tract: de Prædeſt.* (*u*) *Joh. Urba. in ſua Tapeinophroſyna reſol. p. 7.* (*x*) *Ruard. Acro. expoſ. in Catechiſ. quæſt. 9.* (*y*) *Zuingl. de proviđen. cap. 6.* (*z*) *Calv. de Prædeſt. fol. 844.*

notas

notas, à Domino proficiſcuntur ſcelera, quæ ab hominibus nequiter patrantur: (*a*) & Deus occultè ad peccata ea, quæ prohibet, homines adigit, (*b*) imò Deus omnia in omnibus operatur, etiam eas res quæ peccata ſunt, & quodcunque operatur, irreſiſtibiliter operatur: Exemplo res pateat: (*c*) Deus per efficax Decretum & providentiam latrones ad homicidia cogit; quemadmodum Rex ſubditos ſuos ad ſolvenda tributa; & quemadmodum equo inſidens illum regit, cogit, adigit, impellit ut eum in modum, & eò abeat, quò vult.

Conc. *Anne ergò exiſtimas ſceleribus tuis te penitùs non peccâſſe?*

Fur. Imò exiſtimo; nempe contra externam Dei voluntatem; at contra internam ejus voluntatem, mentem,

---

(*a*) *Piſc. cont. Schafm. in præfat. pag.* 3. (*b*) *Sturm. de Prædeſt. Theſ.* 15. & 16. (*c*) *Triglan. Defen. f.* 164.

&

& providentiam nequaquam: Nam (d)voluntas hæc divini Beneplaciti tum quoque perficitur, quando homo contra præcepta Dei peccat.

Conc. *Verùm tum non nôras, nè vel cogitabas te internam & occultam Dei voluntatem peccatis tuis facere.*

Fur. Anne hoc quidem tunc cogitare poteram, Concionator? poterámne in reſpectu ad divinam providentiam & regimen aliter cogitare, quàm tunc cogitabam? Nam ſi occulta Dei providentia & Decretum fuiſſet ut illud cogitâſſem, non potuiſſem quin cogitâſſem; ſed quia interna ipſius providentia & Decretum non erat, ſecundùm doctrinam noſtram, id cogitare non poteram. Imò ſimul ac motum vel irritamentum ad quicquam quod Deus lege ſuâ prohibuit in me perſentiſcerem, illico mentem meam iſta ſubibat dubitatio, annon Dei interna &

(d) *Rippert. in Colloquio.*

occulta

occulta voluntas eſſet, ut id perpetrarem; & annon me ad id adigeret impellerétque, quo per me efficeret, quod ab æterno inevitabili ſuo Decreto per me in actum ſtatuiſſet deducere; animum ità inducens; Si reſiſto, θεόμαχος cum *Luciferο* perduellis Deum versùs videbor inſurgere: atque ſic quò impetus ferebatur ruebam, & nunc certo certiùs novi internam Dei voluntatem, Beneplacitum & Decretum fuiſſe, ut omnia quæcunque patravi, patrârem. Si enim abſque ejus interna voluntate fuiſſet, in æternum non accidiſſet. Dicam quid ampliùs: Si quandoque mecum calculos accuratiùs ſubducerem, ſummo flagrabam deſiderio peccata acervare & peccata exaggerare, proſpiciens gratiſſimum longè Deo me iis facturum. (*e*) Enimvero Deus magis delictis opus habet ad gloriam ſuam manifeſtandam, quandoquidem non

(*e*) *Piſcat. ubi ſuprà Theſ* 35. *pag.* 32.

miſereri

miſereri poteſt niſi miſerorum, neque juſtè damnare niſi peccatores, (*f*) ità ut abſque hoc ſi fuerit pertingere non poteſt ad principaliſſimos fines, apud hos quidem ad manifeſtationem miſericordiæ in ſalute; apud illos verò ad manifeſtationem juſtitiæ in interitu. (*g*) Quocirca oportebat hominem labi & gratiâ excidere, ut Deus cauſſam haberet & occaſionem juſtitiam & miſericordiam ſuam declarandi. Deinde (*h*) peccata faciunt tam ad reprobationem, quàm ad prædeſtinationem; qui enim reprobantur, per ea ad æternum exitium ducuntur; qui prædeſtinantur, Dei gloriam per peccata tantò magis illuſtrant, dum ex illis eripiuntur. Proinde videns Deo peccata accepta adeò exiſtere, ego creatura ejus cogitabam, imò ſæpius vocem hanc ingemina-

(*f*) *Id. Theſ.* 27. & *Beza de præd cont. Caſtel. in ref. cal. ſecundæ.* (*g*) *Smout. Concord. fol.* 107. (*h*) *Martyr in L.C. claſſ.*3 *c.*2. *diſt.*48.

bam.

bam. Ecce Domine ſervus tuus ad peccandum ſemper paratus.

Conc. *Veruntamen, amice, penitúſne curis & ſollicitudine ſolutus vixiſti?*

Fur. Imò bono ſemper eram animo, ità colligens: Si (*i*) ſum electus, Spiritus Chriſti converſionem & fidem tali vi in me operabitur, quæ electis eſt irreſiſtibilis: Nam renovatio eſt creatio, quæ non ab hominis arbitrio dependet, ſed duntaxat à voluntate & potentiâ Dei. (*k*) Quemadmodum mortuus ſeipſum ex mortuis ſuſcitare nequit; ità ex peccato nullo omnino pacto reſurgere valeo quantumcunque tandem Dei verbum in me ſonet niſi Spiritus & vita mihi reſtituantur. Quare conſultiſſimum è re meâ fuerit, tam diu moram ferre, (*l*) donec Deus me inhabitet, & doctrinâ ac inſtitutis ſuis

(*i*) *Donteclock in Reſp. ad ignoti ſcriptum litera L 4. & M. 1.* (*k*) *Martyr L. C. de lib. arbitpag. 978.* (*l*) *Bucer in Ep. ad Rom. 9.*

cor

cor meum moveat; nam ubi cogar ibi non potero quin ſequar. Ex adverſo ità concludebam: Si ſum reprobus,(*m*) omnis cura mea & labor, quibus ad ſalutem opus habeo, omníſque diligentia, quàm fortè probavero, fruſtrà erunt, plùs oberunt quam proderunt: (*n*) Imò quantumvis omnia omnium Sanctorum opera præſtitero, ſalvari non potero; adeò firmum & immutabile Dei ſtat propoſitum.

Conc. *Dei vocationem & invocationem obſervare debebas, cùm Deus verbo ſuo & Spiritu te vocaret.*

Fur. Poterámne me aliter gerere ac gerebam? (*o*) Nam qui verè per Evangelium, & internè per Spiritum Sanctum ex Dei propoſito non vocatur, Dei vocationi obedire nequeunt, (*p*) nihil omnino credere poſſunt,

---

(*m*) *Donteclock. adverſ. Caſtel. p.* 171. (*n*) *Marl. in Joh. c.* 15. *v.* 2. (*o*) *Geſel. in probat. fo.* 38. (*p*) *Id. fo.* 39.

nec

nec ſe convertere. Et Deus (*q*) trahit credentes per omnipotentem operationem, cui nolunt, nec poſſunt, nec velle poſſunt reſiſtere. (*r*) Coguntur, nec poſſunt, quin vocantem ſequantur, quos Deus inhabitat, & quibus inſtitutis ſuis cor movet. Simili rem illuſtrabo. (*ſ*) Quemadmodum nemo nativitatem ſuam impedire poteſt; neque reſuſcitationem ex mortuis impedire poterit; pariter nemo omnino operationem gratiæ Dei in Chriſto impedire poteſt, quando nos eâ regenerare; & ex ſpirituali morte ſuſcitare vult. Ex his abunde perſpicis, ſi à Deo hunc in modum efficaciter vocatus & tractus fuiſſem, aliter non potuiſſem agere, quàm ſequi & morem gerere.

Conc. *An ergò Deum vocantem te vel*

(*q*) *Smout. in præf. concord. f.9.* (*r*) *Anthon. Thyſ. in doct. & ord. Reform. Eccleſiæ.* (*ſ*) *Contra-Remonſt. in Colloq. Hag.*

moventem

moventem nunquam audiviſti ?

Fur. Equidem audivi ſæpius; ſed optimè nôſti, quemadmodum Deo externa & interna eſt voluntas; ità quoque ipſi externam & internam vocationem eſſe. (*t*) At externa vocatio cum interna ſi fuerit conjuncta, opus demum eſt ſive effectus prædeſtinationis & ineffabile ejus ſignum. Atque hoc eſt quod Synodus Dordracena non ità pridem admodum præclarè dixerit; (*u*) Quòd aliqui in tempore fide à Deo donantur, aliqui non donantur, id ab ipſius æterno Decreto provenit, ſecundùm quod Decretum Electorum corda, quantumvis dura, gratiosè emollit, & ad credendum inflectit: non-electos autem juſto judicio ſuæ malitiæ & duritiæ relinquit. Proinde frivolè nimis & infrà quàm decebat, effutire videris, Concionator,

(*t*) *Paræus in Rom. cap. 9. Dub.* 11. (*u*) *Syn. Dord. cap.* 1. *Art.* 6.

tantopere

tantopere me increpans; quòd Dei vocationem & invitationem non admiserim; expiscans item ex me; Annon Deum vocantem & moventem audiverim. (x) Etenim quòd alii per Ministerium Evangelii vocati veniunt & convertuntur, id non est adscribendum homini tanquam seipsum per liberum arbitrium ab aliis pari vel sufficienti gratiâ ad fidem & conversionem instructis discernenti, (quod superba Pelagii hæresis statuit) sed Deo, qui ut suos ab æterno in Christo eligit; ità eosdem in tempore efficaciter vocat, fide & resipiscentiâ donat, & ex potestate tenebrarum erutos in filii sui regnum transfert. Imò cùm (y) regenerationem & novam creationem Deus sine nobis in nobis operetur; ea autem vitute suâ nec creatione, nec mortuorum suscitatione minor aut in-

(x) *Syn. Dord. cap.* 3. & 4. *Art.* 10. (y) *Ibid. Art.* 12.

ferior, adeò ut omnes illi, in quorum cordibus admirando hoc modo Deus operatur, certò, infallibiliter, & efficaciter regenerentur & actu credant. Cur me accusas quòd non fui conversus? Atque ut dicam quod res est, non video quo modo possibile sit, ut semper dubius adhuc & fluctuans electúsne sit an reprobus, vocationi æternæ se conformare queat, hoc insuper obice relicto, ut vocatio interna non concurrat.

Conc. *An ergò ipse animo tuo concepisti te reprobum esse? Horrendum sane!*

Fur. Concepi; nec sine caussa: quia enim Deus (z) maximam hominum partem ex Beneplacito suo reprobavit, & (a) reprobi propter peccata non reprobantur; neque prævisa peccata in caussa sunt cur aliquis reprobetur, ut

(z) *Smout. Concord. fol.* 109. (a) *Triglan. Def. fol.*83.

ne-

necessariò fateri oporteat, (*b*) mala opera & incredulitatem reprobationis non esse caussam, ità quidem ut Deus ex consilio & voluntate suâ ordinavit quò homines nascerentur qui à matris utero infallibiliter morti sint traditi, ut illorum interitu nomen divinum glorificetur: Animo meo ista volutans, sæpenumero tacitus cogitavi; Optime Deus! anne me quoque cum maxima hominum parte reprobâsti? facilè crediderim, quandoquidem in reprobatione adeò tibi placuisti, ut nomen tuum exinde glorificetur.

Conc. *Verissimum hoc est. Quòd Deus* (c) *ab æterno, absque ullo peccati respectu, per purum absolutum suum Decretum, quod nemo intelligere potest, maximam generis humani partem rejecit, & ad interitum creavit, vel in* Adami *lap-*

(*b*) *Gesel. probat. fol.* 216, 217. *Calv. Inst. lib.* 3. *cap.* 23. *sect.* 6. (*c*) *Anthon. Thys. ad Summam Baronii pag.* 20.

ſu reliquit ex immutabili & inevitabili Decreto, quod ſecum ipſe decrevit: Imò ſi quiſquam dicat, quod Deus (d) *neminem odio habuerit, aut odiſſe decreverit, quâ homo eſt ab ipſo conditus, ſed tantùm in quantum peccator, ille Apoſtolo contradicit: Tu verò interim non debes illico animo concipere, te quoque reprobum eſſe.*

Fur. Optimè dicis; verùm quomodo poſſibile eſt, ut homo cujus fides toties tantis oppugnatur tentationibus, multíſque peccatis eſt deditus, facilè ſibi imaginetur, ſe non reprobatum eſſe: verbi cauſſâ; Si nôrit ſecúmque perpendat, inter (*e*) reprobatos occurrere non tantùm annoſos ſed & infantes, ità ut (*f*) ex infantibus morientibus quidam ſerventur, quidam damnentur, antequam boni quid malíve fecerint. Nam (*g*) executio

(d) *Id. pag. eadem.* (e) *Perk. Cat. Aureâ pag.* 393. (f) *Thyſ. in Expl. doct. de prædeſt. pag.* 245. (g) *Perk. ubi ſuprà.*

divini

divini Decreti de reprobandis infantibus ità habet: Simul ac nati & mortui fuerint, jam in æternum damnati erunt, propter originalis & innati peccati reatum, qui ipſis ineſt; atque (*h*) propterea ex vita hac plurimi infantes evocantur, Deúſq; innocentes infantes à matrum uberibus rapit, ac in æternam mortem præcipitat. Imò quod magis eſt; Deus non tantùm cum Judæorum, Ethnicorum & Turcarum infantibus ità agit, verùm (*i*) id quoque locum habet in baptizatis Chriſtianorum ſive credentium infantibus, ut quidam ex iis in infantiâ morientes damnentur. Proinde (*k*) an certò omnes infantes à credentibus parentibus prognati & in infantiâ morientes indubitatè ſerventur, eâ de re verbum Dei tacet. Auſim dicere quid ampliús. Cum (*l*)

(*h*) *Calv. ad Calumn. Nebulo. ad Art.* 13, & 14. (*i*) *Donteclock in pacif. lit. L.* (*k*) *Anth. Thyſ. lib. antè citato pag.* 226, & 227. (*l*) *Rippert. in Colloq. pa.* 802.

infantibus qui in Chriſto moriuntur, antequam quiddam operari potuerunt, ità agitur; aut ſervari debent ex gratiâ, aut damnari naturâ debent, tanquam filii iræ, ſicut & cæteri. Sanè, Concionator, rigidæ hæ rationes ſunt pro eo, qui ſymbolam tenetur ſolvere; ea propter ignoro quid nomine hoc ſentiam.

Concionator.

Audi, amice; (m) *Si in poteſtate aut libertate hominis bovem aut ovem in ſuum mactare uſum, vel leporem aut perdicem voluptatis cauſsâ venari & interficere; multò magìs abſque ullâ injuſtitiâ in voluntate & libertate Creätoris ſitum erat, creaturam ſuam rejicere, & ad gloriam ſuam deſerere: Imò millies æquius eſt, ut omnes creäturæ in cœlo & in terrâ, æterno ſuo interitu gloriæ & majeſtati divinæ demonſtrandæ ſerviant, quàm ut*

(m) *Paræus in Ep. ad Rom. cap. 2. quæſt. 9.*

muſcæ

muscæ interemptio aut nex pulicis omnium hominum totius Orbis terrarum dignitati demonstrandæ serviant. Atque hoc in Deo non est improbandum sed deprædicandum; & electi non possunt quin Deo summas gratias agant, quòd impios reprobârit; quandoquidem illos ad salutem nostram reprobavit, & ad testificandum quanto amore erga nos flagret: Imò ipsi reprobati non habent quod de eo querantur, verùm potiùs quod gratias agant; nam si apti sunt ad interitum, Deus tamen illos non frustrà aptavit, sed ad multos præclarissimos fines, & præcipuè ad suam gloriam.

Fur.

Atque hoc in caussa fuit, (n) quod sæpiùs cogitavi, nos reprobati tantò magìs ut acquiescamus oportet: Nam quamvìs si privatum & peculiare spectetur, bonum, melius esset natum non

(n) *Gomar. Disp. de prædest. p.* 105, 106.

fuiſſe quàm condemnari, tamen propter publicũ & univerſale bonũ in hoc mundo contrarium (nempe reprobari) eſt melius, ut peculiare ſerviat univerſali, & creatura cedat honori Creatoris. Quocirca quantumvis media in æſtate nares mei frigore fermè eſſent concreti, olfacere tamen poteram futurum eſſe, nos à Deo ad Tartara deturbatos, luentes agere coactum iri gratias, quod nos creaturas ſuas ſervitio tam ſancto fuerit dignatus. Enimvero (*o*) dignitas præcipuæ Dei gloriæ, & electorum commodum adeo eſt ingens, ut electi per interiorem ejus penſitationem, Spiritu Sancto acti optarint proprio interitu & damnatione (ſi poſſibile fuiſſet) reprobatorum ex Judæis ſalutem redimere. Sæpenumero mentem meam hæc ſubibat cogitatio; Nos reprobos ô terque quaterque felices!

(*o*) *Id. ib.*

Concionator.

Omne ingenii acumen operámque in hoc de Reprobatione argumento videris impendisse; præstabat te verbo duntaxat & prædicationi, quâ te vocabat, morem gessisse.

Fur.

Non diffiteor; verùm quamdiu reprobatio ista cerebro uteo impressa erat, monitus (*p*) sæpe animum ita inducebam: Reprobi in æternum Deo, etiamsi ipse vocaret, obedire non queunt, nec credere, nec se convertere, nec justificari, nec salvari possunt; (*q*) & ideo non convertuntur, quia Deus non vult eos converti: Imò Deus (*r*) quibusdam reprobatis in Ecclesiâ congregatis gratiam suam offert in verbo, sæ-

(*p*) *Musc. L. C. de elect. c.* 10. (*q*) *Trigl. Def. fo.* 156. *Calv. in Ezek.* 18. 23. (*r*) *Anth. Thys. in Doct. & ord. Ecclesiæ Reform. p.* 21. *f.* 216, 217.

pè quoque per Sacramenta, non eum in finem ut per ea salventur, sed ut ex adverso minorem reliquis excusationem habeant, & in fine graviùs puniantur.

Concionator.

Omnia hæc ipsissima sunt veritas. (s) *Nam quos Deus ad vitæ ignominiam & mortis interitum vocavit, ut instrumenta iræ suæ essent, & exempla rigoris sui, eos ut ad finem suum perveniant, privat facultate verbi sui audiendi; postea magìs eos excæcat & intricat verbi ejusdem prædicatione.* (t) *Sæpiùs quoque in reprobatis fides deprehenditur, quæ magnam cognationem & affinitatem habet cum fide electorum; & experientia docet, illos sæpè cum electis pari ferme motu & sensu duci, ità ut sæpenumero se electos arbitrentur. Quandóque* (u) *accidit ut qui-*

(s) *Calv. Inst. lib. 3. cap. 24. Dist. 12.* (t) *Id. lib. 3. cap. 2. Dist. 11.* (u) *Bez. in brevi explic. cap. 7. Aphor. 6, & 7*

dam

dam gratiæ ipſius auxilio attollantur, ut donum cœleſte guſtent, ſemen Dei accipiant; imò Eccleſiæ inſerti videantur; ità ut aliis ſalutis viam monſtrent, ipſique non aliter nôrint & arbitrentur, quàm ſe electos eſſe: Infelices tamen hi homines in altum ſcandunt ut lapſu graviori ruant, & ut Deus graviori illos afficiat ſupplicio.

Fur.

Id quidem & ego probè nôram, atq; propterea omnes exhortationes, omnes conciones, omnes verbi lectiones fugiebam, adeóque omnia bona opera evitabam, nè magìs excœcarer, intricarer, & graviùs damnarer. Imò expreſſis verbis aſſerebam; (x) æquè ac Dei propoſitum & ſincera mens non eſt, eos qui in vita ſuâ non vocantur, ad ſalutem hanc deducere; pariter ipſius mens & propoſitum non fuit, reprobos qui vocantur ſalvare, quoniam

(x) *Dnteclock adv. Pacif. lit. L. 1.*

ipſi

ipsi non placet iis fidem & resipientiam donare, sine quibus salvari nequeunt. Deus (y) ab omnibus cultum & obedientiam exigit, verùm non omnibus hominibus in corrupto hoc statu potentiam obediendi dare decrevit; ab omnibus quibus verbum prædicatur fidem exigit, verùm omnibus fidem donare non vult.

Concionator.

Reprobationem hanc menti tuæ altè infixam semper habuisse mihi videris.

Fur.

Non usque adeò altè infixam habui, Concionator, quandóque duntaxat hujusmodi mihi cogitationes occurrêre; ut plurimùm id firmum meo stetit animo, me verè electum esse, de quo nec jam nunc ullus dubito.

(y) *Trigland. Apol. fol.* 135.

Conc.

Concionator.

Nè audacter pronuntiare præsumas, tibíque ipsi temerè confidas, te electum esse, postquam à teneris profligatorum adeò perditorúmque morum fuisti, nec ad hunc usque diem vitam in melius mutásti, ità ut non multos electionis tuæ fructus ederis.

Fur.

O bone vir! necesse est ut scias, (z) eos qui electi sunt non statim à matris utero, neque omnes uno tempore vocari. Imò antequam ad supremum Pastorem congregantur, dissipati in communi deserto vagantur; & in seipsis à reliquis non penitùs discernuntur, nisi peculiari Dei misericordiâ custodiantur nè in æternam mortem prolabantur; (a) nec Deus ad tempus ullum aut vitæ qualitatem astrictus est, quo electos vocet, ità ut de nemine du-

(z) *Calv. Inst. lib. 3. cap. 24. Dist. 10.* (a) *Musc. loc. com. de fide cap. 7.*

bitandum

bitandum ſit, in quocunque vitæ curriculo fuerit, aut quamcunque tandem vitam egerit: Nam nullum genus peccati adeò eſt grave, quod cœleſtem vocationem prohibere queat. Ex quibus luce Meridianâ clariùs liquet, ob id non ſtatim de me deſperandum eſſe, ſi non omnino vitæ adeò inculpatæ non fuerim, utì tu quidem dicturus videbaris.

Concionator.

Attamen tuam erat bonis, utì Apoſtolus docet, operibus ſalutem tuam firmam feciſſe.

Fur.

Quomodo hæc tibi tam ineptè exciderunt, Concionator? Anne Electio noſtra à bonis operibus dependet? Deponam quòd non, & propterea penitùs ſum perſuaſus; (*b*) Ipſos Electos in graviſſima ſcelera prolabi, utpote adulterium, homicidium; (*c*) imò interdum

(*b*) *Zanch. in Miſcel. p.* 329. (*c*) *Ruard. Acron. Explic. Catech. quæſt.* 53. *fol.* 137.

terdum in tales errores, quibus salutis fundamentum sæpè ex parte, sæpè ex integro evertitur ruere; vel aliâ ratione contra conscientiam quodvis Dei præceptum transgredi, & turpiter gravitérque peccare. Verùm omnia ista minimùm obesse possunt. (d) Nam Deus electos suos peccantes damnare non vult, quandoquidem salutis illorum fundamentum in æterna electione situm est, nec mille peccata, imò omnia totius mundi peccata, adeóq; omnes in inferno Diaboli Dei electionem evertere nequeant. Fieri potest ut peccata nostra corda obdurent, fidem infirmam reddant, attamen fidem tollere non possunt, nec Spiritum penitùs exstinguere, ità ut Deus neminem propter peccata damnet, qui in Christo Jesu in filium est adoptus.

(d) *Wilhel. Teeling. in Dialog. de statu hom. Christ. pag. 44.*

Concionator.

An ergò non metuebas nè damnareris, aut in iram Dei incideres?

Fur.

Nihil omnino metui, nè minimùm quidem: (e) Nam qui prædestinati sunt penitùs rejici aut deseri in æternum nequeunt; semel, quia ex certo & immutabili Dei Decreto electi sunt; iterum, quia in Christo non nisi in perpetuum possunt diligi.

Concionator.

Verùm convertisse te debebas, & secundum Dei voluntatem te composuisse, ut peccatorum tuorum remissionem adipiscereris.

Fur.

Tu, quantùm video, de [f] novo Fœdere non aliter sentis ac de veteri, quod in conditionibus legis situm erat; si

(e) *Toss. de præd. c. 3. Zanch. de nat. Dei l. 7. q. 1.*
(f) *Smout. in Script. consent. fo. 12.*

hoc

hoc feceris, si crediderimus, constantésque perseveraverimus, Deus hoc illúdve faciet, &c. Quæ regula è diametro cum pacto novi Fœderis pugnat. [g] Deus pangit nobiscum Fœd⁹ novum, & hoc nobis promittit, non tantum absque ulla conditione; sed etiam dum à conditione longissimè absumus; dum in media morte peccatorum jacemus. [h] Ecce abluit Deus & remittit peccata antequam cor renovat & regenerat; & utrúnque facit antequam boni quid fecimus; etiam dum impuri adhuc sumus, & nomen ejus profanamus. Hoc indè progerminat, [i] quòd Deus omnes suos electos antequam crederent & resipiscerent, singulari, æterno, gratioso & salvifico amore est prosecutus. Enimvero (quemadmodum sancta Synodus Dordracena ([k]) inquit) Ele-

(g) *Id. fo.* 31. (h) *Id. fo.* 46. (i) *Gesel. probat. fol.* 33. (k) *Acta Synodi cap.* 1. *Art.* 9.

ctio facta eſt non ex præviſa fide, fideíque obedientiâ, ſanctitate, aut aliâ aliquâ bonâ qualitate & diſpoſitione tanquam cauſsâ ſeu conditione in homine eligendo prærequiſitâ; ſed ad fidem fideíque obedientiam, ſanctitatem &c. Ac proinde Electio eſt fons omnis ſalutaris boni, unde fides, ſanctitas, & reliqua dona ſalvifica, ipſa denique vita æterna, ut fructus & effectus ejus, profluunt.

Concionator.

Quouſque tandem diſputationem protrahes? Labella compeſce, à diſputando abſtine, ſeram noctem eſſe cogita, & periodum tibi perbrevem ſupereſſe; proinde ſollicitus ſis quâ viâ certiſsimè ſalvari queas, dum vitâ hâc tibi excedendum. Pauli *verba* 1 Cor. 6. 10. *tecum conſidera: Neque fur, inquit, neque rapax regnum cælorum poſsidebunt; illud tamen tibi poſsidendum ſi ſalvari debes.*

Fur.

Fur.

Anne animæ meæ miseræ arbitraris te pharmacum ostendere posse?

Concionator.

Crede in Jesum Christum, dole ob peccata, à Deo beatam implora catastrophen, & horam quâ tibi donet remissionem peccatorum & vitam æternam.

Fur.

Quid mihi credendum est ut rectè in Christum credam?

Concionator.

Credendum tibi est, Jesum Christum tuî caussâ, passione & morte suâ, remissionem peccatorum & vitam æternam meritum esse: Hoc tibi in Evangelio præcipitur.

Fur.

Quæcunque Evangelium præcipit súntne veritas vel mendacium?

Conc.

Concionator.

Ipsa sunt veritas.

Fur.

Anne Christus passione & morte suâ omnium caussâ ista acquisivit?

Concionator.

(l) *Quantumvis humana ratio etiam in piis scandalum indè capit, & quidam ex Evangelicæ doctrinæ Doctoribus multùm tumultuentur ac debacchentnr quando audiunt doceri; Deum nolle ut omnes salventur, sed certi quidam; Christum item non pro omnibus esse mortuumm; nos tamen utrunque firmiter tenemus, firmissimis Scripturæ dictis innixi, ità ut disertis verbis asseram;* (m) *Deum reprobis nullum Mediatorem constituisse: Nam Christus electorum tantùm Redemptor est, non aliorum.*

(l) *Pisc. con. Schafm in disp. de Prædest. pag.* 12.
(m) *Perk. de Spir. desert. pag.* 3.

Fur.

Fur.

Annon (*n*) Chriſtus reproborum cauſsâ mortuus eſt, & placamentum factus?

Concionator:

Quæſo ſi electa Chriſti es ovicula, quare reprobis & damnatis patrocinaris? Lege judicium (o) *Synodi Dordracenæ, illud te docebit; Quòd hoc Dei Patris liberrimum fuerit conſilium ut gratioſiſſima voluntas & intentio, & mortis pretioſiſſimæ filii ſui vivifica & ſalvifica efficacia ſeſe exereret in omnibus electis ad eos ſolos fide juſtificante donandos, & per eam ad ſalutem infallibiliter perducendos; Hoc eſt, voluit Deus ut Chriſtus per ſanguinem crucis (quo novum Fœdus confirmavit) ex omni populo, tribu, gente & linguâ, eos omnes & ſolos, qui ab æterno ad ſalutem electi, & à Patre ipſi dati ſunt, efficaciter redimeret, & fide donaret, quam, ut*

(*n*) Polan. Explic. quar. in Relig. diff. p. 154. quæſt. 4. (o) Cap. 2. Art. 8.

&

& alia Spiritûs Sancti salvifica dona, ipsis morte suâ acquisivit.

Fur.

Anne omnes homines sunt electi?

Concionator.

Nullo modo; (p) *Nam Deus tantùm ex mero suo Beneplacito, sine ullo futuræ impietatis respectu, maximam hominum partem ad æternum interitum ordinavit.*

Fur.

Tandem serio & bonâ fide mihi enarres, quem me existimas? Electum an reprobum? Respondésne, an dubitas? Eloquaris, nec verborum integumentis rem involvas, lingua in pectore non faciat divortium, cordis & oris esto concordia, utì sentis candidè

(p) *Pisc. cont. Schafm. Thes.* 115. *pag.* 119. *Smont. Concord. fol.* 109. *Bucan. L. C. de prædest. quæst.* 46.

&

& apertis verbis ediſſere; Hoc ut ſciam eſt neceſſe; ſi ſum reprobus mendacium crederem; Chriſtus quippe reproborum cauſsâ nihil acquiſivit: ſi ſum electus, veritatem ſequar, non mendacia; ſed veritatem quærere opus demum eſt Evangelii. Proinde ante omnia ſciam, utrum electus ſum necne.

Concionator.

Quivis (q) *in Eccleſia Dei præcepta tenetur credere, quòd per Chriſtum ſit redemptus; reprobus æquè ac electus; quiſq; tamen peculiari modo. Electus tenetur credere, ut credens electionis fiat particeps; reprobus ut credens ex Dei intentione, eò minùs habeat quod reſpondeat:* (r) *Atque ideò Chriſtus reprobis offertur, non ut ſalvi fiant, ſed ut ab incredulitate & corde ſuo refractario convicti, omni excuſatione careant.*

(q) Perk. de Prædeſt. pag. 89. Gomar. de præd. Theſ. 8. Dungan Pacif. pag. 68. (r) Gomar. de Prædeſt. Theſ. 21.

Fur.

Fur.

Hoc vis dicere; Deum reprobos velle credere id quod eſt mendacium; Imò ipſum eos æternâ damnatione multare, quia id quod mendacium eſt non crediderint: & quid impedit quin ità? Nam (*ſ*) poſtquam Deo reprobos damnare ſtat ſententia, perinde eſt quocunque modo illos damnet.

Concionator.

Subtilitates iſtas, quæſo, mitte; Deúmque oremus potiùs ut æternam tibi ſalutem conferat.

Fur.

Si orare vis pro teipſo ora: orando fruſtrà laborem impendere nolim: Si ſum reprobus ſalutem non conſequar, ſi vel mille annos in precando inſumerem: Nam (*t*) reprobatio firma & immota ſtat, adeò ut ſicut electi reprobari

(*ſ*) *Nicaſ. de Schure in Inſtit.* (*t*) *Polan. in Doct. de Prædeſt. pag.* 139.

non

non possunt, pariter reprobi electi non possunt evadere. Est quippe reprobatio immutabilis tam à parte Dei reprobantis, quàm à parte hominum reprobatorum. Quid hic ergò preces proficient? Ex aduerso, si sum electus, Deus ab æterno salutem mihi destinavit, & (u) omnes qui à Deo ante mundi creationem ad salutem ordinati sunt, Dei potentiâ (ut propositum electionis firmum stet) ad eam perducentur, tam firmiter & certò, ut impossibile sit illos damnari, aut tandem perire posse. Atque semper hæc fides mea fuit, secundùm quam ambulavi, & Synodus Dordracena adeò me in ea confirmavit & certum reddidit, ut ustulari mallem, quàm vel tantillum ab ea recedere. Expressè enim asseverat; (x) Atque ut Deus ipse est sapientissimus, immutabilis, omniscius & omnipotens; ità E-

(u) *Donteclock Instruct. de Prædest. p. 93.* (x) *Cap. 1. Art. 11.*

lectio ab ipso facta, nec interrumpi, nec mutari, nec revocari aut abrumpi, nec electi abjici, nec numerus eorum minui potest. (y) Concesso insuper quòd electi interdum juxta Dei permissionem, in peccata gravia & atrocia abripiantur, utì David, Petrus, aliíque Sancti, & (z) talibus enormibus peccatis Deum offendant, mortis reatum incurrant, Spiritum Sanctum contristent, fideíque exercitium interrumpant, conscientiam gravissimè vulnerent, sensum gratiæ ad tempus nonnunquam amittant: Deus (a) tamen ex immutabili Electionis proposito Spiritum Sanctum etiam in tristibus lapsibus ab ipsis non prorsus aufert, nec eò usque eos prolabi sinit, ut gratiâ adoptionis aut justificationis statu excidant, aut peccatum in mortem, sive Spiritum Sanctum committant, & ab eo penitùs deserti in exitium æternum sese præci-

(y) *It. cap. 5. Art. 4.* (z) *Art. 5.* (a) *Art. 6.*

pitent.

pitent. (*b*) Ità non ſuis meritis aut viribus, ſed ex gratuita Dei miſericordiâ id obtinent, ut nec totaliter fide & gratiâ excidant, nec finaliter in lapſibus maneant aut pereant. Quod quoad ipſos non tantùm facile fieri poteſt, ſed & indubitatè fieret; reſpectu autem Dei fieri omninò non poteſt, cùm nec conſilium ipſius mutari, promiſſio excidere, vocatio ſecundùm propoſitum revocari, Chriſti meritum, interceſſio, & cuſtodia irrita reddi, nec Spiritus Sancti obſignatio fruſtanea fieri aut deleri poſſit. Imò quòd amplius eſt, cùm (*c*) reprobatio interna & æterna Dei ſit operatio, quæ reipſâ non differt ab eſſentia Dei, quare de Electione non ſit diſſerendum, hoc duntaxat dicam: Apud omnes in confeſſo eſt & conceſſum, tam reprobationem quàm electionem non differre ab ipſa Dei eſſentiâ, & proinde Deum ipſum eſſe,

(*b*) *Art.* 8. (*c*) *Polan. in doctrina de Prædeſt.*

qui in ſemetipſo immutabilis eſt, procul à me abſit, ut rogem quò Deus mutatur.

Concionator.

Bone Deus! quàm abominandum eſt hujuſmodi audire? Anne homo eò uſque procedere poteſt, ut te, peccatis & miſeriis onuſtus, nolit invocare?

Fur.

Canerem potiùs, Concionator, ut cubiculum reſonaret, pulcherrimum hymnum à Bernardo Biſchop antehac in Geldrorum Oyen, nunc Ultrajecti Concionatore confectum.

Concionator.

Si iſte vir hymnum confecit, neceſſe eſt bonus ſit, eſt enim Concionator doctrinæ Orthodoxæ; fac ut audiam.

Fur.

Diligenter auſculta. Melodia Pſalmo tertio ultra centeſsimum reſpondebit:

debit: breviter in eo, populariterque percipies universam fidei mei normam ac regulam, secundùm quam vivere juxtà & mori statui.

I.

Benedictus sit Deus qui me nondum natum, imò antequam mundus conderetur ad salutem prædestinavit, non ex fide aut operibus, quæ in vitâ hac facturus essem, sed ex ipsius duntaxat benificentia.

II.

Benedictus sit Deus, qui ex immutabili suo consilio per Spiritum Sanctum suum intus me traxit, verbóque suo extus vocavit, qui cœcum intellectum meum & corruptos sensus Spiritu suo internè illuminavit, & indies porrò magìs magísque illuminabit.

III.

Arbitrium meum pravum, errabun-

dum, servum & peccatorum mancipium, jugo hoc emancipavit, ità ut nunc in viis Domini perpetuò incedere unicè desiderem; posse duntaxat mihi deest.

IV.

Benedictus sit Deus, qui Spiritu suo omnipotenti & verbo divino unanimiter operans fidem firmam cordi meo implantavit; talem fidem, támque indubitatam fiduciam, quæ cruce aliísque durioribus periculis infirma quandoque redditur, non tamen frangitur.

V.

Quis Dei electos seducet? Quis me à charitate Christi segregabit? Quis ex forti ipsius manu me eripiet? Nec Diabolus, nec mors, nec mortalia peccata robore & potentiâ in tantum prævalebunt, ut certum hoc mihi depositum eripiant.

VI. Deus

VI.

Deus optimus, qui bonum opus in me cœpit, pro misericordiâ suâ continuabit, & ad finem usque perficiet, ad finem usque miseræ hujus vitæ, Dominus Deus faciet, ut Spiritu suo semper stipatus perseverem.

Commentariensis.

Finem tandem faciatis; disputationes istas & cantiones ampliùs audire nolim. Hiccine est hymnus Domini? Cantilena est quæ furciferum decebat, & à perversissimorum nebulonum turbâ cani decebat. Pariter se habent doctrina vestra & fides.

Fur.

Vituperes, Commentariensis, quantumcunque velis, insignem ego existimo esse hymnum, & si mihi moriendum fuerit, in patibuli scalâ illum canam, loco illius, Ex profundis Domine &c. Concionator qui hymnũ compo-

ſuit eſt ex Orthodoxis Contra-remonſtrantibus, non ità pridem ex parvulo viculo in urbem Ultrajectum evocatus, ubi pro hymno hoc abundè reſpondit, ipsúmque ità defendit, ut ibidem in Orthodoxâ Eccleſiâ tanquam Scripturæ conſentaneus ſit receptus.

Commentarienſis.

Hæccine eſt Orthodoxa illa doctrina, quâ Provinciæ hæ tantopere turbantur, quæque ut unà in Eccleſia ſancta habeatur, Synodi authoritate, imò vi militum unicè agitur? Sanè delicati quid eſt.

Concionator.

Expediret, Commentarienſis, te os tuum obſtruere iis in rebus, quas intellectu tuo non aſſequeris: Vide quid dixeris, & deſine Eccleſiam ejúſque doctrinam calumniari, aut malè tecum agetur, brevi nempe ad minimum à carceris præfecturâ deponeris.

Commentariensis.

Si ista optima vestra argumenta sunt, Concionator, doctrina vestra non adeò benè sit firmata. Quantumcunque verò mineris, nihilominus hoc tibi dicam oportet; probè me animadvertere quòd parùm consilii nôris captivum hunc ad veram pœnitentiam, & à peccatis ejus conversionem transferendi; imò quòd hominum vestrorum dogmatibus multò magis in iis obduratur. De Dogmatum vestrorum capitibus multùm sanè audivi, nunquam tamen credidi nisi nunc, ubi auritus & oculatus testis ex ore tuo omnia ista percepi. Hæccine certò est reformata doctrina? Si deformata nuncuparetur, id quod res est diceretur; utpote quæ ex se nihil operari & efficere potis est, præterquam securitatem in hominibus excitare, imò ansam præbere, ac stimulum addere in peccatis quibusvis perseverandi. Quocirca Concionator, quoniam doctrinâ tuâ apud hunc ægrotum nihil potuisti proficere,

proficere, abeas potiùs; ego laternâ accensâ alium adducam, hiſce inſtitutionis veſtræ capitibus contradicentem, & diverſum in Religione ſenſum ſequentem, qui longè, opinor, certiùs faciliúſque ad dolorem de peccatis ac vitam meliorem deducet & adiget.

Concionator.

Facias quodcunque allubeſcit; id modò ratum tibi ſit, te non impunè hoc laturum.

Commentarienſis.

Facias quod potes, ut viri hujus anima ſervetur pluris majoríſque æſtimo quàm tuam gratiam: interim inſignem tuam amarulentiam & rancorem ſatis ſupérque prodis. Deus noctem tibi bonam largiatur.

FINIS.